I.

Herr Oberlehrer Dr. Sprengel war durch andere dringende Berufsgeschäfte leider verhindert, die angekündigte Arbeit „Beiträge zur Behandlung nachgoethischer Dichtung im Unterricht" zu schreiben. An ihre Stelle treten zwei für die Geschichte der Klosterschule bedeutungsvolle Briefe, welche Herr Oberlehrer P. Flemming in Pforta freundlichst zur Verfügung gestellt hat, wofür auch an dieser Stelle der verbindlichste Dank ausgesprochen wird.

Weimar, Großherz. Bibliothek, in Autographa vol. I unter den Briefen des Fabricius B. (Original).

Georg Fabricius an Cyriacus Lindemann.

S. Henricus Wicelebius, eques Turingus, verae pietatis et bonarum literarum amantissimus ludum instituere conatur et id, quod vult, iam propemodum videtur effecisse. Eius quoque rei gratia et Erfurdiae et Lipsiae alit adolescentes, quorum opera in instituenda iuventute uti possit: is de meo consilio multa egit, quod eo facilius fuit ei impertire, quoniam sua sponte vel potius, ut ego interpretor, divino numine impulsus ad eam rem fertur, quam non modo nulli fere promovent, sed pauci admodum etiam amant atque intelligunt. Quod studium praeclari viri videtur singulare et omnibus rebus adiuvandum.

Tu vero, Cyriace, qui pueritiae iam multos annos praees et doctrinae atque diligentiae laudem es a bonis viris et peritis hominibus consecutus, intelligis, qualis cura et quale iudicium requiratur in tractandis diversis ingeniis: nosti etiam, quam vigilantem et laboriosum esse praeceptorem oporteat, quam fortem in perferendis omnis generis molestiis. Quae virtutes cum necessariae sint et in paucis inveniantur, te oro atque flagito, ut cogites una mecum, num talis hominis copia fieri possit. Quodsi quem nosti ad munus scholasticum et eruditione et laborum tolerantia et exercitatione aptum, fac ut quam primum sciamus, idque cum Reipublicae nomine tum inprimis patriae tuae.

Te conditionem tuam mutaturum et ex aliorum et ex tuis literis didici, sed an aliam suscepturus sis, incertus sum; spero tamen hoc tempore te non negaturum operam tuam Ecclesiae et Christo. Quodsi patriae amore teneris et hunc novum ludum aperire existimas ex dignitate tua, fac me de animi tui voluntate certiorem. Ita enim agemus causam tuam, ut sentias

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nobis non deesse egregium studium. Sin aliam vitae rationem propositam habes, consilio nos iuva et ita statue, quod ego nunc ago, id me ex animo et amore studiorum et officio debito patriae tuae agere. Cuperem atque optarem te permanere in eo loco, in quo nunc es, multas ob causas: sed si importunitati atque superbiae cedendum est, aequo animo fero, doleo tamen iuventutis causa. Nolo esse longior; cupiditatem meam et hos et illos iuvandi vides. Quam ob rem oro, ut bonam in partem accipias, quae scribo, tibique ita persuadeas me tibi ita favere ut qui maxime. Hoc etiam consilium cum nemine communica nisi quem celare non potes aut debes. Vale.

Misenae pr. Cal. Januarii Anno a nato Christo MDXLVIII.

Georgius Fabricius.

Optimo et doctissimo viro D. Cyriaco Lindemann, Portensis collegii Rectori, amico et collegae suo carissimo.

In vol. II Briefe Lindemanns No. 46 (Concept).

Cyriacus Lindemann an Georg Fabricius.

(Pforta.) (1548, Januar.)

S. De consilio Vicelebii, quod cepit de instituenda scola et reditibus monasterii sui ad optimum ac honestissimum usum transferendis etiam ante literas tuas, mi Fabrici, cognovi. Ablegavit enim ad nos duos ex familiaribus vel potius domesticis suis, qui nostrae scolae administrationem coram inspicerent et ex indicatione nostra certius de omnibus rebus cognoscerent. Praedicarunt autem illi et veris laudibus extulerunt optimi illius equitis animum et honestissimum consilium de promovenda re literaria et ornanda sua patria. Neque certe honestius quicquam aut praeclarius ab ipso fieri posset. Magnam enim hoc significationem praebet animi recte sentientis ac honestissimis imbuti opinionibus, cum non trahatur errore sui saeculi aut suae conditionis hominum, qui nescio qua re ad accipiendum, quam ad dandum ac largiendum fere promtiores sint. Etsi enim illa sunt Ecclesiae bona et conservationi scolarum debentur: tamen hoc ipsum, ut nunc sunt mores, magnum est beneficium non fraudare aut, quod nimis vulgare est, spoliare Ecclesiam suis facultatibus.

Cum igitur valde mihi probetur hoc propositum et institutum hominis vere nobilis, eo etiam animo sum, ut, si queam, promovere illud et ornare cupiam. Verum quem tu requiris ludimagistrum, nescio ubi inveniamus. Videris enim ἰδέαν quandam informare exoptatissimi cuiusdam παιδονόμου. Nam mihi quidem quod tribuis, nisi egregie velim esse impudens, agnoscere non possum. Unum hoc scio, quod cupidus sim iuvandi bonorum studia et ornandi ecclesiam Christi qualicumque opera et industria mea. Felicitatem in administrando magnopere desidero. Nam de doctrina nihil habeo dicere, quae nec meo nec aliorum iudicio alicuius momenti est. Quae cum agnoscam et meo me pede, ut par est, metiar, saepius eos, quos debui, oravi, ut hanc meam provinciam alteri darent, me vero

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum bona gratia dimitterent ad ea obeunda, quibus exercendis et natura et eruditione aptior essem. Nam de hac quidem conditione id mihi dicere licet, quod Socrates de siderum contemplatione dixisse fertur, τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Hoc meum consilium et tibi indicavi et iis maxime, quorum id cognoscere interfuit. Verum nescio quomodo alligatus ad hanc functionem videor. Nemo est enim, qui me liberare velit: cum saepius eandem rem tentarim, ut iam me ipsum toties frustrati conatus paeniteat et plane iam expectare id tempus decreverim, quo ipsi, quibus haec potestas data est, me abire et hanc provinciam alteri tradere iubeant. Mallem autem hinc dimissus in Academiam aliquam redire, in qua excolere mea studia possim potius quam ex hoc φροντιστηρίου in aliud migrare. Neque tamen odiose meam operam, sicubi utilem hanc fore intellexero, reipublicae denegabo aut requiri eam patiar. Et quamquam patriae meae amore tangor et illius cura praecipue afficior, tamen in hoc negotio ibi patriam esse statuo, ubicumque verae pietatis atque honestatis studia coluntur. Quid autem certi tibi pollicear in hac perturbatione mearum rationum, non habeo. Et hoc tempore, si unquam alias, consiliario maxime opus habeo. Quare vicissim a te quoque peto, ut tuo me consilio iuves, et viam mihi aliquam commonstres, quae si non rectissime, at quam minimo errore ad id, quod bonum atque rectum sit, producat. Haud invitus tibi parebo, cum et sapienter et amice et fideliter te consulturum mihi persuadeam.

Hierzu vgl. Brief des Fabricius an Joach. Camerarius vom 21. Februar 1548 (München, Staatsbibl., collectio Camerariana Supplem. No. 81) .... Apud Cyriacum mentionem feci scholae Vuicelebianae, non ut eum evocarem e sua functione, sed ut eius mentem intelligerem. sciebam enim ab aliis quoque vocatum iri. is nuper ad me scripsit se hoc statutum habere, quod non ante mutaturus locum sit quam iubeatur abire: quoniam iam toties frustrati conatus paeniteat. Qua mente eum esse gaudeo et, ut in ea permaneat, suadebo ....

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf